

**DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
L E P R A
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS
DOMINI DE CANI
NEC NON CLARISSIMORUM.
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ALMA AC CELEBERRIMA
REG. SCIENT. UNIVERSITATE HUNGARICA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT
JOSEPHUS SCHWEITZER
BOHEMUS TACHAUENSIS
ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER.**

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis
Palatio majori die Aprilis 1835.

PESTINI,
TYPIS TRATTNER-KAROLYIANIS.
IN PLATEA DOMINORUM 612.

Sr Wohlgeboren

dem

Herrn Herrn

Simon Edlen von Lämel

k. k. privilegirten Grosshändler

zu Wien

meinem hochherzigen Gönner
und Wohlthäter

dankbar und
achtungsvoll dargebracht

vom

Verfasser.

*

Ew. Wohlgeboren!

Meines Lebens schönster Tag, der des jahrelangen Strebens reichste Krone biethet, wird mir zum doppeltem Festtage, da er mir die ersehnte Gelegenheit gewährt, das, was mein volles Herz so tief empfindet, nun auch laut zu künden, und Ihnen mein gnädigster Herr und Gönner hiermit öffentlich für die reichen Wohlthaten, mit denen Sie mich seit Jahren in Milde und Menschenfreundlichkeit beglückt, den wärmsten, regsten Dank zu spenden! Nehmen Sie daher diese geringen Erstlinge meiner Studien, die durch die Vorsezung von Der o hochgeehrten Nahmen ihre schönste Zierd' erlangen, mit Ihrer gewohnten Huld und Nachsicht auf, und entziehen Sie mir auch in des Lebens Zukunft, worauf ich jederzeit den größten Ruhm gesetzt, Ihre hohe Gnade nicht.

Proëmium.

Ingentem perlustrans morborum aciem , medicis jam dudum cognitam , eam toties deprehendi discussam vexatamque , ut de morbis novi quidquam aut satis masculi prodere , juvenis nequaquam conatus sim. Interea , cum ex legibus academicis pro capessenda suprema doctoratus laurea scribendum mihi quidquam fuerit , animum in primis animadverti in Lepram , morbum , atavis adeo familiarem , summeque exitialem , qui eo magis meum in se convertit animum , quo est origine obscurior , quo forma variantior , curatuque difficilior.

Per te tamen L. B. intelligis , mearum non esse virium , neque experientiae , argumentum hoc summe arduum ad liquidum perducere , quare tironis primitiis dijudicandis ne sis Cato nimis severus , iterum iterumque rogo.

Dabam Pesthini Idibus Aprilis 1835.

§. 1. Auctoratus etymologicus.

Terribilis hic morbus in scriptis sacris sub nomine veniens γέρας et γέρων magistro Abarbanel idem significans ac: „angustia malorum“ Graecis Λεπρα, Latinis Lepra, senioris aevi Christianis morbus St. Lazari, Engl. Leprosy of the Greeks, Gall. Lépre, Ital. Lebba, German. Augsatz, Schuppen-Borkenkrankheit vocatur.

§. 2. Antiquitates.

Morbi hujus, eorum, qui atavos infestarunt, dirissimi ac atrocissimi, prima vestigia ad canam usque porrigitur antiquitatem, summus tamen Legislator mali hujus primam facit mentionem, quo stirps hébraica anno 2450 a. m. c. ex Aegypto Arabiam fugiens corripiebatur; imo Manethos quidam, qui 1200 a. serius scripsit, ac ipse Justinus, Israélitas in gratiam hujus mali Aegypto expulsos fuisse contendunt; ast, quin, quae ad forum nostrum non spectant, penitus lustrari vellemus; cum cl. Michaëlis aliisque recentiorum adiuuimus, hanc stirpem, intra 430 a. quos in Aegypto morabatur, Lepram sibi contraxisse. Aegyptum vero cacoëthis hujus monstri scaturiginem jäm Lucretius profert: „Non nisi ad Nili ripas, praeterea nusquam Elephas morbus saevit“ et Marcellus (de Medic. c. 19.) ac Plinius (Hist. Nat. XXVI. 5.) morbum Aegypto peculiarem esse contendunt. Eo etiam Mosis ultima tendunt verba „Caveatis, inquit,

summopere caveatis a macula Lepræ“ Mille annos post Mosis obitum secundum Herodotum Lepra apud Persas fuit visa , aegrotantes urbibus expulsi ab omni societate humana fuerunt exclusi, nomenque traxerunt Pisagas.

§. 3.

In Graecia Lepram malum fuisse admodum vulgare, censemus ; et jam summus Hippocrates, quamvis lepram, lichenes ac alphos tamquam insons consideraret eczema vernale, tamen has species in morbos veros abire posse profert; in specie hoc adnuens de λευκαι, quae in morbis summe lethalibus, uti sic dicto morbo Punico occurrit, quibus verbis Galenus recte adjicit „Morbus hic in Phönicia aliisque terris orientalibus est frèquens, simulque Elephantiasim indicare videtur“ (Explan. vñc. Hipp. ed. Frantz. p. 592.) Aristoteles (de gen. Anim. IV. 3. ed. Duvalp. 676.) de morbo loquitur, Satyria vocato, ubi facies illam Satyri aemulatur, qui probabiliter cum Elephantiasi collimat, testantibus etiam Aretaeo ac Galeno.

§. 4.

Quamprimum Lepra Romae apparuerit, cum certitudine assignare non valemus : apud Lucium autem jam audimus de vitilagine odiosa, uti pariter apud Celsum; Lucretio Elephantiasis nondum innotuit, Plinius autem senior hoc malum per Pompeji exercitum ex Asia delatum adeo clare depinxit, ut Elephantiasim facilime dignoscas. Versus initium secundi aerae Christianae ducenti hoc malo laborantes medicum Soranno Roma Aquitaniam vocarunt, ac seculo eodem ad finem vergente Galeni amicus,

Crispus quidam, remedium ad morbum debelandum excogitavit. Seneca vitiliginem et quidem foedam ex albo varietatem adducit, quo etiam referimus. Martialis verba, „triste mentum, sordidique lichenes.“

§. 5.

Prolatae a nonnullis sententiae, ac si Lepra mediae aetatis per expeditiones adversus hostes religionis Christianae in Europam fuisse delata, cl. Raymondius magna cum doctrina contradicit, hanc pestem vero eo tempore jam vulgarem fuisse defendimus per scripta Joannis Damasceni, Rhaze, Haly Abbas, Ebn Sina et. s. p. secundum quos tam in Syria, Persia, quam in ipsa Hispania occurrebat. Seculo octavo St. Ottmarus in Germania et Nic. a Corbie in Gallia nosodochia condidere, unis recipiendis leprosis dicata, quorum numerus in sola Gallia regnante Ludovico VIII. ad 2000 ac ille leprosorum in universitate Christianorum ad 19000 auctus fuit.

§. 6.

Inchoante seculo XV, ubi alia ac nova populorum strages, Syphilis utpote, orbem debacchari incepit, Leprae jam rario ab auctoribus fit mentio, non tamen ac si infaustum illius seminum plane evanisset, sed nonnisi maxime maligna illius species, nodosa veluti, tunc rario est observata; alii auctores uti Seb. Aquitanus, Widmann, Brant et Grünbeck, Syphili dem cum Lepra unum idemque malum esse contendunt, cui vero effato praecipue doctiss. Nicol. Leonicenus ac post eum Jac. Catanaeus firmissimis contradixere argumentis; ab illo autem

tempore rariora semper evadunt ac magis dispersa illius exempla, quamvis recentiori etiam aevo summi in arte medica viri uti Vogt, Vogel, Murray ac Brambilla Lepram hinc inde observasse adserant.

§. 7.

Definitio.

Maxima se nobis obtrudit difficultas in statuenda morbi adeo proteiformis definitione; cuius natura in profundo latens Democriti puto, nonnisi vehementiae modo, gradu, sedisque ratione in diversis suis speciebus invicem differre putamus: specificum enim illud seminiuum, ex quo Lepra producitur; quoque a caeteris morbis cuticularibus discrepat, sensuum acie non assequimur; hinc solummodo diagnostica hujus tetrae affectionis signa respicientes, contentos nos esse oportet descriptione quadam i: e: collectione phaenomenorum et symptomatum, quae in leprosis corporibus conspicuntur; quorum illa, quae omnibus communia sunt, morbum quasi definiunt, ac ideo Lepram cum magno P. Frank dicemus: „atrocissimum Impetiginis genus, cute aut vitilagine diffusa — aut piscium quasi squammis, ulceribusque crustosis, orbiculatis, pertinacibus — aut demum tuberculis nodosis ad faciem imprimis ad manus ac pedes inquinata, insigniter pruriens, aspera, rugosa, unctuosa, livida, cum dyspnoea, voce rauca, nasali, morositate, anaesthesia ac stupore, saicitate morbosa, alvo sicca, pedis deformitate, tumore elephantino, ulceribus profundis ad ossa, articulos sub paucō dolore extensis, haec ipsa separantibus, foetore ac aspectu totius horrendis.“

§. 8.

Hypotyposis.**a. Prodromi.**

Quae a somite hujus luis accepto contingent, mutationes potiores sunt: Lassitudo universalis, morositas, horrores cum caloribus ast a estu interno commisti, et formicationis inter cutim carnesque, inprimis faciei, sensus. Incipientis vero tunc morbi signa ab aegrotantibus vel ob ignotam mali indolem, vel ob eorum ad partes obiectas collocationem, quum nimio pudore decipientur, celatae medicorum haud raro cognitioni subtrahuntur. Praecipue vero macula vel una vel plures, figurae potissimum rotundae aut ovalis, coloris vel albi vel brunei, aut parum aut nihil elevatae, pruritus expertes, ad faciem, axillas, ad frontem, ad manus, vel ad pubem, ac vitiligines (Boharet et Bohar Mosis) extensionis nunc minimae, nunc lenticularis aut interdum amplioris — dum ambitus earundem vel in profundum nunc citius nunc tardius augeretur — dum pili — si quos fundus macularum haberet, aut subtiliores, breviores, rariores, lanuginosi aut albi redderentur — aut protinus desfluerent — ac demum, si locus hic inaequalis depresso aut acu perfossus, vel igne tractatus nequidem sensu consueto gauderet, aegritudinis latentis testimonium dederunt. Color igitur in cute aut partis aut corporis totius mutatus, ac sensus in macula decrementum, in adulta ac profunda abolito, si adsint, potissimum in Lepram diagnosim constituant.

§. 9.

b. Morbi progressus.

Ipsae vero maculae nunc a cute recedunt atque iterum iterumque redeuntes, superficiem in parte vel hac vel illa, jam interdum majores, elevationes, magis obscuras foedant; nunc majori cum constantia sedem sibi vel unam vel plura simul ad loca desixam eligunt. Interdum non tam maculae quam pustulae aut siccus et orbiculatus herpes Lepram praecedere solet. Animi corporisque segnities insolita, morositas, facilis iracundia, vel in dolos, suspicionem vel meticuloositatem dispositio; insomnia tristissima, terrifica, ephialtes — brutale coitus desiderium — oculorum albedo obfuscata, turbata, vel rubra aut livida ac in nigrum declinans, figura oculi rotunda leonina; auricularum lobi intumescentes obdurati atque in toto ambitu subinde tuberculis cincti — narium extus rubrum, livescentium interna angustatio vel ulcus, frequens sternutatio; quin aliquid emungi possit, olfactus privatio — vox rauca vel rarius acuta et subtilis cum anhelitus foentis strictura — faciei totius inflatio cum magna validaque rubidine, quae tamen a genuina ac sanitatis indice valde discrepat, est enim quasi cinabarina, temporis progressu caerulea inque malo vetusto livida — palpebrae tumoribus aquosis aut duris turgentibus, pellis super fronte quasi tensa et lucens, nodosa, aspectus torvus — capitibus, superciliorum ac menti porrigo, pilus rarius, mutatus, alopecia — sudoris foetor hircinus quasi, alvi tarditas, eructatio perpetua; lotium turbidum, interdum tenue, aquosum, odore suo muriam, in qua haleces conservantur,

exprimens — pulsus exiles, debiles, chordae ad instar tensi — praecipua Leprae venientis signa constituebant.

dispositionem, anteaq. §. 10. tunc enim dicitur

c. Lepra confirmata.

Hoc in statu morbus per plures hinc inde subsistebat annos, quin aliquod caperet incrementum, donec in pueris vel pubertas vel in adultis alia rerum mutatio latenter sub cineribus ignem rapaces evehheret in flamas, ac Lepram vel in parte vel in universo corpore diffusam ostenderet. Maculae nunc leprosae in profundum latumque, nunc citius nunc tardius diffusae, a facie ad plantas pedum usque erumpere solent inque tubercula ac nodos surgere; omnia, quae morbum obscurius hucusque indicaverunt, phaenomena de die in diem augmentur inerescunt segnities, motuumque difficultas, insomnia terribilia, morositas, raucedo, faciei circa nasum rubor, livido ac inflatio, turgescunt, dilatantur exterius, angustantur interius nares, tument genae, labia, protuberant supercilia ac tubercula cinnabarinorum, sibflavum vel et livido colore notatae, has partes non minus, quam aures, frontem, ipsumque interdum palatum exasperant, defoedant. Intermedia his cutis crassescit, et in plicas rugasque unctuosas contractitur, facies, uti vocant, leonina efformatur, nigrescit ac humanae imaginis delentur vestigia. In pluribus cutis undique ulceribus foetidissimis, crustosis, albis et squamosis cum pruriitu ac ardore, cum tactu licet obtuso, insignibus obtegitur. Corpus integrum, si modo partium dictarum timores excipiamus, tabescit.

d. Summum fastigium.

Vox nunc penitus extinguitur, foetorque animae et corporis cum spirandi labore continuo increscit, sub lingua grandinosa venarum raninarum varices, quae et alibi ad pectus, ad tibias oriuntur, subnigrae comparent; secedunt pili vix non omnes, et caput et supercilia prae-tumida, liminaque palpebrarum, et mentum et axillae et pubes tibiaeque glabrescunt, sinduntur, incurvantur, et corruptae labuntur unguis, muscularum omnis torositas disparet, praecipue illorum, qui inter pollicem et indicem digitum sunt positi; ciborum digestio prava ac flatuum incommoda, vel et fames in quibusdam canina cum siti augmentur inexplebili, vix faeces alyus easque non nisi siccas, nigras ac combustas, ac jumentosam, rufamque continuo urinam vesica expellit, infausta Veneris cupido, extremitatum articulos, phalanges a carie latente erosas, tumores insensiles alii juxta alios circumdant; vel et ulcera sicca, profunda sensuque vix praedita deturpant; universum corporis tegumentum turgescit, in plicas crassiores et nodosas elevatnr ac induratur, perspiratio sanctoriana obliteratis quasi omnibus poris penitus sistitur, unde fit, ut aegri in Cachexiam et frequentissime in Melancholiam ac vitae taedium incident, mortemque sibi consciscant laqueo aut cultro aut spontanea submersione; qui vero in tantam desperationem non adiguntur, illis membra unum post alterum dissoluta cadunt. „Neque enim, ut verbis Aretaei utar, haec lues prius perimit, quam membranatim dilaceratus homo fuerit. Nam

**longaeva est, quemadmodum elephas animal,
cum quo communia habet multa.“**

§. 12.

Divisiones.

Multiplex est, quam diversi tentarunt autores, tetrae hujus affectionis divisiones, prouti nimirum Lepram cum Elephantiasi, Leuke, Lichenibus, Scabie ac Syphilide unum idemque vel toto coelo differens considerarunt malum; nos autem eruditissimi ac in literatura medica versatissimi Viri, sumini C. Sprengelii sequimur divisionem, qui ternam esse Leprae formam adserit, utpote :

- I. **Lepra Mosaica vel alba**
- II. **Lepra squammosa vel graeca**
- III. **Lepra nodosa seu Elephantiasis.**

§. 13.

A. **Lepra Mosaica vel alba.**

Sacra scriptura Lepram in genere considerat: „qua affectum praeter naturalem corporum tam inanimatorum, quam humanorum, quo externa eorum superficies ex causa quacunque praeprimis respectu coloris mutatur,“ illo in lege Mosis definito modo; ita enim de Lepra vestium, aedium et hominum legimus Levitic. c. XIII et XIV, quae etiam prima et maxime notabilis est hujus Leprae ab omnibus aliis sic dictis Lepris differentia, quae solum humana sibi postulant corpora. Priores tamen species, quarum signa pathognomonica sunt: color flavus in vestimentis, viridis vel flavus cum rubicundo, nonquidem arte aliqua sed sponte enascens et propululans in pariete, accuratius exhibere, opusculi nostri vetat angustia, indeque ad illam sta-

tim transibimus, quae humano nonnisi competit organismo. — Haec, extensionem illius si respicimus, dividitur in universalem, quae totam fere corporis superficiem possidet a capite ad calcem, ita, ut nihil fere sani in toto corpore externo appareat, et in particularem, quae unam nonnisi vel plures corporis humani partes occupat. Aliam differentiam, quin loci affecti habeamus respectum, largitur ipsius mali status et conditio, uti specialius legendum in Codice de Plaga c. 1.

§. 14.

Symptomata.

Omnia tamen, quae circa hoc objectum tam in paginis sacris, quam in diversissimis earundem comentariis conscripta sunt, si rite computamus, symptomata, ad quatuor principalia reduci posse putamus. — Primum ac certissimum mali signum est pilus albus sive pilus in albedinem versio uti monet Moses Levit. c. XIII. v. 3: „si pilus ille in plaga mutatus sit in album“

ושער בנגע הפך לבן

idem repetitis vicibus adducens v. 10. 20. 25. Hoc autem symptoma tanto lubentius qua principale agnoscimus, si celeberrimorum Anatomiae ac Physiologiae cultatorum recentioris aevi de hac re institutas experientias pervolvimus, quibus constat, pilos non tam inter corporis excrementa, quam potius inter partes illius organicas esse recensendos.

Alterum Leprae signum audit ejus diffusio de qua Legislator divinus loquitur v. 8. והנה פשתה המטפתת בעור וטמאו הכהן צרעת הוּא „Ecce diffundit se abscessus ille in cutem ejus, tum

inpurum pronunciabit eum Sacerdos: Lepra est“
Diffusio autem dicitur, si malum, quod certam ante
tea quantitatem habuit, successu temporis fit ma-
jus, vicinas partes corripit atque vel citius vel tar-
dus serpit. Hoc fit, dum sensim plura atque plura
obstruuntur vasa, dum materia morbifica se
extendit, alias etiam inficiens partes, ut in gan-
graena fieri observamus.

Signorum triadem constituit carnis vi-
vacia, uti Moses v. 10. 11 profert:
והנה שעת לבנה בעור והיא הפכה שער לבן ומחייבת
בשר חי בשעת צרעת נושנת הוא בעור בשרו

„Ecce tumor albus est in cute, et ipsa muta-
vit pilum in album, etiamsi aliqua sanitas car-
nis sit in tumore illo: Lepra inveterata est in
cute carnis ejus.“ — Per carnem vivam intelli-
gendarum esse carnem sensu et vitalitate praedi-
tam, omnes Interpretes affirmant; quomodo
autem haec Leprae nota esse possit; non aequo
facile patet. Caro viva appellari posset caro lu-
xurians vel sylvestris, qualem in ulceribus vul-
neribusve non rite tractatis succrescere videmus,
et vi vocis inherentes, atque gravissimorum
Interpretum vestigia sequentes sub vivacitate
intelligimus: portionem aliquam cutis, quae
nondum suam perdidit vitam, vel si perdide-
rit, eam denuo fuerit adepta, et hoc sibi Lepra
privum habet, quod circumquaque corruptis par-
tibus aliqua tamen portio maneat illaesae, uti
hoc in ulceribus fit sinuosis.

Ultimum demum signum largitur pro-
fundior plaga ad spectus uti v. 3 ait:
גַּם־רָאָה הַנֶּגֶע עַטְקָה מֵעוֹר בָּשָׂרָיו
„Et species plaga illius profundior fuerit“

*

„cute carnis ejus.“ — Tumor vero, qui ante erat altior, depressior dici poterit, si justam non servet vel non obtineat altitudinem, vel depressior forte erit macula, quae in justum non assurgit tumorem, Hanc autem rem ad assem enucleavit Maimon (de Impurit. Lepr. c. I. §. 6.) dicens: „Omnis Lepra carnis non prius appellatur plaga, neque impuritati est obnoxia, quam plagae adspectus cute carnis fuerit depresso, non quidem profunditate, quae ad tactum, sed, quae ad solum visum patet, uti solis adspectus, qui oculo videtur esse profundior“ Cujus rei rationem ex natura petunt lucis et umbrae: Lux scilicet profundior videtur, quia plures emittit radios ex pluribus punctis, umbra vero quasi altior apparet, quia in umbra suffocantur radii luminis plus minusve, unde cum luce non ejusdem videtur esse in eodem corpore plano superficie; praeterea notum est, colorem album lumen accipere majus et longius transmittere.

§. 15.

B. Lepra squammosa seu graeca.

Forma haec, eo graeca nuncupata, quia in Graecia est popularis, nascitur post impetigines rodentes aut alopeciam et ophiasim, dum febris tertiana accessit. Cutis desquamatur frustis subcorneis, quae mole ungues digitorum referunt, interpositis furfuribus et cute, quae infra est, ruberrima, inflammata et noctu praesertim ardentissima. Rhagades adjunguntur et ulcera, quibus insident maculae albae, lardaceae. Ungues incrassantur, pili sinduntur et de-

fluunt, odore perspirationis simul hircino, glandulis summopere tumentibus et obdurecentibus. Spirituum difficultas strangulationem minatur, tussi sociata spastica et vehementissima, quae a quolibet aëris liberi, frigidiusculi accessu exasperatur. Cupiditas ciborum inanis est, sitis ingens, vox debilis et rauca, tandem animi deliquia accedunt, cum nervorum distentionibus alterna, quae aegrum praecipitare consuescunt. Interdum ita occurrit haec forma, maxime in Oriente, ut dolores membrorum rheumaticos et ponderis sensum anima etiam despensionem sequantur pustulae lividae, apice ruguloso et acer- vis majoribus coagmentatae. Gluteos frequen- tissime musculos obsident, popliteum quoque, rarius faciem, pectus et abdomen; quibus ares- centibus escharae nigriuscule supersunt, sub quibus latex promanat flavicundus, foetidus. Tum spirationes impediuntur, pulsus exilis fit, cutis rugosa et flava; sensus cutis deletur, exanthema nec pruritum nec sensum alium ciet, muco narum et lacrymis adeo interdum acribus, ut malae exedantur. Tandem pustulae abeunt in ulcera rodentia, partibus, quae juxta sunt, tuberculosis et lardum referentibus, quibus demum artus integri destruuntur, et hypothimiae cum convulsionibus sibi alternatum succedenti- bus, malorum tandem claudunt catervam.

§. 16.

C. Lepra nodosa seu Elephantiasis.

In hac tertia Leprae forma febris accendi- tur ante quartana, animi despensionem et sum- mam tristitiam adserens, glandulis interea ob-

durescentibus, in specie inguinalibus; facie i-
lor fuscus fit aut lividus, utri similis inflatio
adest, palpebris in primis turgidis tubercula ha-
bentibus, inversis, oculo angulis destituto, glo-
boso aut distracto et torvo, adsidue lippiente,
caligante etiam. Ad aures, malas, labia, men-
tum, ad omnem denique corporis ambitum tu-
bera sistunt, nucum juglandium aut ovorum
etiam anserinorum mole, quibus cruentis facies
horridior ipsa morte redditur. Huic turpidudini
accedit melancholia vel vesania, quae brutis
similes facit homines, sensibus omnibus adeo
obtusis, ut et ipsa bruta demergi videantur.
Vox debilis, loquela blaesa aut penitus abolita,
sensus totius cutis adeo deletus est, ut tubera
incidi possint absque ullo sensu. Cupiditas ci-
borum effrenata, macies tandem accedit, qui-
bus cutis adeo adficitur, ut in plicas contrahi
possit. In praeceps datur aeger, dum tubera ul-
cerantur, sunt autem maxime maligna haec ul-
cera, oris duris et callosis, superficie fungosis
aut carnibus spongiosis, moriformibus obsita;
cutis, quae juxta est, rumpitur, effluente sanie
cadaverosa, cruenta orisque rhagadum callosis.
Tandem ossium vitia et caries sociantur, quibus
tota membra vastantur.

Topica etiam haud raro est Elephantiasis,
aut in pede: Elephantopos nuncupata, cuius
egregium nobis obvenit ante duos annos in scho-
la clinica Vindobonensi specimen, aut brachio
alterutro terminata.

§. 17.

Diagnosis.

Ad hanc statuendam symptomata morbi ma-

xime constantia et gentilitia adducere fas erit in sequentibus posita: pulsum interdum febrilem, sed constanter debilem, persaepe lentum — urinam jumentosam, turbidam, sedimento instrutam, aliquando limpidam, alvum ab initio morbi tardam — fatus ructusque copiosos, transpirationem foetore peculiari quasi hircino stipatam — vocem raucam, nasalem halitumque olen tem — morositatem, lasciviam, anaesthesiam, formicationis sensum — varices potissime haemorrhoides, tumores glandularum lymphaticarum — vitia pilorum et unguium — impetiginem maculosam, pustulosam, squamosam, nodosam, ulcerosam — tabem in primis musculorum praecipue pollicis — nec non cariem.

§. 18.

Differentiae.

Variae Leprae formae cum variis vitiis superficie corporis confundi possent; sic Lepra alba ab universalis candore cutis Albinorum distinguatur oportet, Albini enim praeter lucis intollerantiam nil morbos exhibent, ac peculiarem generis humani constituant variatem (Blumenbach de generis humani varietate nativa Goett. 1795.) quod etiam de Aethiopibus, quorum color albus nonnullis a leproso vito derivatus est, dici debet. — Lepra squammosa ab Ichthyosi et Hystriciasi utpote a vitiis conformatio nis, illaesa caeterum sanitate perstantibus, distinguenda est. Porrigo quidem ex diathesi leprosa interdum trahit originem, ast in genere facile a Lepra squammosa ob defectum signorum gentilitiorum Lep-

rae distinguitur; idem de herpete dicendum est. Tinea capitis in parte cranii capillata incipit, quae in Lepra solummodo versus finem adscicitur. (Willan)—Lepra Elephantiasis cum impetiginibus syphiliticis, praecipue sub forma tuberum obvenientibus, ab iis, qui signa horum malorum probe haud noscunt, facile confunditur, alias enim hujusmodi confusione haud locus est.

§. 19.

Aetiology et Nosogenia.

Ingens, uti in quavis fere re medica, est turma opinionum ac hypothesium, quas omnis aevi medici statuerunt ad eruendam mali hujus kakoëthici naturam, quin tamen rem adeo arduam ad liquidum perduxissent.

Moralis a Judaeorum magistris non minus ac a nonnullis antiquitatis medicis assumitur Leprae causa, hocque argumentum tam per exempla varia, uti Uziam regem, Miriam summi Pontificis sororem et miraculosam Moses lepram, qua manus illius affecta et illico sanata est, praecipue vero ex eo demonstrare adnituntur, quia curatio solis sacerdotibus, qua Numinis divini ministris, conveniebat, sicque foedissimus hic morbus qua justa Dei vindicta hominibus immittitur; ego vero, cuius non est scopus, antiquitatis perlustrari mysterias, omnes Leprae causas ad duas, praedisponentes nimurum et excitantes reducere conabor.

§. 20.

Causae praedisponentes.

De haereditario Leprae ex genitoribus

in prolem transitu copiosa et hodierna etiam sine dubio testantur exempla, quod tamen non impedit, quo minus hinc inde leprosi sanam generent prolem, aut leprosi ex sanissima stirpe originem ducant. Infantes ac feminae rarius, quam viri Leprae succumbunt; nunquam aut mitissime saltem ea laborant Eunuchi, cujus tamen phaenomeni causa non penitus patet.

Praeter hanc dispositionem haereditariam etiam corporis habitus, vitae genus ac temperamentum praecipuam affectui nostro praebent ansam; in priorem si nunc inquirimus ille potissimum considerari meretur, qui carnosus aut robustus dicitur, in hoc enim, cui strictior et firmior fibrarum structura contingit, a qua actio in liquida simulque pulsus ac calor pendent, humidissima diluentia bonaque sanguinis crassim conservantia per motum majorem ubique expelluntur, ac residuis hinc inde in organismo nonnisi spissioribus solvitur mixtio blanda acriaque liberantur; non praetervidendus tamen est habitus gracilis et certo respectu tumidus, quorum uterque parvam in liquida vim exercet, unde multa sanitati minus convenientia liberantur.

Ex vitae conditione illa erit accusanda, si quis nimis immunde erit educatus vel squalidem, uti in nonnullis opificiis, ex necessitate tulerit, hinc muriarii, mercenarii, molinares, lapicidae ac carbonarii in subeundum hoc malum maxime proclives. Inter temperamenta praetipue eminet melancholicum, quippe quod corpus ad glandularum viscerumque obturationem, scabiem, herpetem etc. quam maxime disponit.

§. 21. *causae excitantes.*

Inter has tum remotiores tum proximiores omnes recensentur, quae sanguini et praecipue parti ejus serosae viscidam, salinam et acrem conciliant dispositionem, fluxilitatem decentem auferunt et hujusmodi constitutionem jam praesentem adaugent et excitant. Primo igitur inculpandus erit aër, quippe, qui nimis calidus, humores spissiores et lentiores reddens, partes simul nocivas majori in copia in corpore accumulans, amplissimum ad hunc morbum subeundum suggerit somitem, non minus, ac frigidus sanguinem densans ac decentes excretiones partium corpori nocivarum et inertium impediens, opposita licet qualitate, corpus ad malum concipiendum disponit; non minoris etiam valoris qualitas ejus putrilaginosa ac mephitibus diversis inquinata evadit.

Sequuntur nunc nutrimenta et quidem inter cibos alimenta dura, terestria, viscida, farinosa, non fermentata, leguminosa, nimis pinguia, salita, fumo vel sole indurata, pisces crustati, caro ferina praecipue vetusta et in specie asinina et suilla; inter potuenta cum Boërhavio spirituosa ardentia cum vinis acidis et austerioribus, humorum acrimoniam eorumque coagula vix resolvenda producunt. Referuntur hic quoque motus nimius, inedia, vigiliae excudentes, atque ex animi commotionibus praesertim, ira ut et in Venerem nimia proclivitas, meditatio profunda non minus ac somnus et

quies nimia, quae omnia simul fluida cogunt,
nociva cumulant, solida infirmant et hebetant.

His omnibus insuper alii addunt auctores:
vermes, in specie Gordium m̄rinum, (Nouveaux
memoires de Berlin I. Vol. p. 68.) tractationem
gymnoti electrici (C. Linnaei amoenitates aca-
demicae) insecta (Joerdens opera) imo vir in-
genio praeclarus Malfatti commercium cum ele-
phantibus qua momentum grave adcusat.

§. 22.

Magnam esse efficaciam acris, cibi, potus-
que in producendo hoc malo nullus erit, qui
dubitaret, ast morbum hunc popularem ex solis
his fontibus derivare, vetant rerum earundem
sub eadem positione, in gentes diversas effectus
non idem, et causarum tam communium non
exspectanda tam singularis in paucas modo tri-
bus operatio; hinc minime negaverim peculia-
rem esse materiam et virus quasi quoddam
contagiosum, sine quo Lepra vera non produ-
catur; de hoc contagio nemo amplius dubitabit,
si quidem antiquissimis legibus cautum esse
novimus: quantam curam habuerit divinus Mo-
ses, ut a populo Judaeo segregarentur omnes,
qui hac foeditate infecti essent, atque aliarum
etiam gentium, inter quas lues haec cognita fuit,
historias si pervolvimus, apud omnes inveni-
mus, destinata fuisse habitacula, a caeteris re-
mota, pro recipiendis curandisque leprosis;
docet hoc non minus recens ac tristissimā in-
sularum variarum inter tropicas positarum his-
toria, ac infaustum cum infectis Africæ incolis,
in servitatem conductis commercium, nec mi-

nus complura Leprae, ex longiore et intumore cum infectis consuetudine; contractae, exempla. Quo tamen modo et per quas demum vias hoc ipsum contagium suscipiatur a sanis, quas partes id primum invadat et inficiat, hoc non minus ac ipsius acerbitatis virüs natura ac indoles nos penitus latet.

§. 23.

Causa proxima.

Haec ab antiquitatis populis, uti jam retulimus, Deorum ultioni tributa est. Medici veteres uti Constantinus Africanus et Gordoniū eam a vitiis quatuor humorum et praecipue ab atra bile (Galenus, Ebn Sina, Varandaeus) non minus adnuentibus praeprimis Judaeorum magistris ab impuro cum menstruata coitu derivare admituntur. Nostram in hac re ignorantiam plane fatemur atque cum cel. Jos. Frank ad ignorantiam corporis et praecipue systematis lymphatici conditionem; quam diaethesim leprosa m' nuncupari liceat, confuginus.

§. 24.

Prognosis.

Facillime liquet, summa opus esse circumspectione in statuendo sortis futurae praesagio, ubi morbus adeo severus totum fere devastat organismum, et hinc inde, quae experientia nobis dictat circa hoc objectum, mox enarrabo. Plura Leprae squamosae nulla autem Leprae Elephantiseos sanatae prostant exempla, et in ipso primo casu, quo antiquior morbus, quo ani-

nosior aeger, eo difficilior evadit cura. Nec quae partialis est Lepra, facilius quam universalis debellatur, imo satente Falconer difficultas sanationis major sub minori cutis affectione, quam sub late expansa Lepra observari potest. Haud pauci, qui sanati videntur, tardius iterum in eundem errorem incidunt. Lepra partialis interdum in malum universale transit, nullum autem habetur certum testimonium, Lepram squamosam in Elephantiasim transivisse. Maculae leprosae nonnunquam jam in infantia comparent, quin morbus unquam invalescat. (Vidal opera p. 16. 3.) Quo primum vero macula leprosa alicubi increscere incipit, malum et in aliis partibus in conspectum venit.

Salubres vero ipsae maculae a Mosis inde temporibus observatae fuerunt, si, quae sensu ante destitutae essent, prurire cooperunt aut in exanthema rodens abire, si circumscriptos limites adipiscuntur, colore saturiori, si menstruus fluxus aut haemorrhoides ante interceptae restituuntur. Impetigines etiam, si humectae sunt et latius proserpunt, ex urinae desidente nubecula critica, criticas esse, saltem pro tempore, spes est, quo praecepto, observationibus suffulto, certissime refutatur Schnurreri adsertum, nil esse in Lepra critici. In genere autem misserrima mors ex tabe, hydrope, carniumque corruptela inevitabilis est.

§. 25.

Therapia.

Duplicem utplurimum viam adgressi sunt omnis aevi medici ad debellandam hanc nef-

riam populorum stragem, per remedia utpote extera ac interna, nihilque fere in vastissimo pharmacorum penu prostat, quod non mox cum majori mox cum minori effectu contra diversas morbi hujus formas fuerit adhibitum.

§. 26.

Medici graeci non minus ac arabici Lepram semper per venaesectiones ac purgantia drastica fugare studuerunt, a qua tamen methodo aevo recentiori plane abhorremus, topicam sanguinis depletionem, per hirudines ad anum applicatas, nonnisi in illis casibus concedentes, ubi haemorrhoides cum morbo cutaneo copulatae simul incedunt. Majorem tamen fidem posuerunt in remedia externa, uti: alumen, sulfur, nitrum, lupines, corticem ulmi, stercora caprarum ac loporum, lotium humannm et fel ursinm, confugientes simul ad substantias vegetabiles ac minerales causticas pusulasque cientes, uti: helleborum nigrum et album, colophonium, rad. iridis florentinae, caepam, bryoniam, chelidonium majus, semina sinapeos, squillam, calcem vivam, vitriolum e. s. p. quae tamen cuncta remedia unacum ipsis vesicantibus transitoriam nonnisi actionem exercentia, regenerationem crustae squamosae minime impediunt.

§. 27.

Summae semper dignitatis apud medicos fuere balnea, in specie sulfurea, aut ex aqua marina vel sub majori ardore ex lacte, emol-

lentibus vel ex partibus animalium pinguioribus cum aqua decoctis; imo testante cl. Willan in mali gradu leviori ex simplici nonnisi aqua parata; sequuntur dein unguenta ac linimenta vel ex solo butyro aut oleo aut cremore lactis dulcis vel cum certa ob mercurium contentum cautela vel cum succo Nicotianae tabaci aut cum acido muriatico confecta; electivam fere vim cl. Willan et D. Willis adscribunt linimento ex pice cum sebo ovillo parato; omni vesperi ad partem affectam inuncto, ac subsequenti die cum aqua calida abluto; quod cutis simul pruritnm intollerabilem mitigare produnt. Nec ad ipsam castrationem, ut morbum hunc aut averterent, aut ejusdem progressus praepedirent, descendere verebantur. Ipsa in Elephantia cruris affecti instituta amputatio, quin labes ad alteram mox tibiam verteretur, ut recenter experientia monstravit; non potuit impedire.

§. 28.

Inter remedia mercurialia externe applicata solutio sublimati corros., frictiones mercuriales ad salivationem usque protractae et ung. hydrarg. nitrati pharmacop. Londonensis principalem tenent locum ad solvendas crustas squamosas cutemque graciliorem reddendam; simili etiam scopo Cuscutae (probabiliter Cuscuta epithymum Linn.) aqua infusae; maceratae, contusae, cum succo limoniorum remistae, maculisque leprosis; tuberculis ac nodis quotidie illitiae — ledique pallustris saturatum infusum; ulceribus impositum; quorumdem hoc in morbo laudes sibi promeruerunt. Cl. Alibert et Hallé unguentum oxygenatum ad illiniendas

in Lepra graeca squammas, ac Scultetus unguent. ex Balsam-Peruviano, flor. sulfuris; liq. cali carbonici et ung. pomato confectum magnis evehunt encomiis.

§. 29.

Remedia interna in genere eadem sunt, quae contra herpetem et lichenes pertinaces in usum vocantur, et quidem speciatim: Infusa et Decocita rad. Caricis arenariae, Lapathi acuti, Sassafrill. Stipit. Dulcamar. lign. Sassafras, Ledum pallustre, Lignum et gammi Guajaci, Conium maculatum, Camphora ipsumque Opium, magis tamen contra inquietudinem nocturnam ac dolores vehementes, quam impetignem ipsam; suadent alii aquam theriacam ad libram de die haustum, alii ol. Petrolei ac Cuscutam vel infusam vel succum ejus expressum; haec tamen omnia per se sola adhibita minime morbum adeo pertinacem destruere valent, nisi cum aliis simul jungantur remediis.

§. 30.

Eminent hic Antimonialia ac sulfur cum diversis suis praeparatis in specie hepatibus, vel sola vel cum acidis nupta, non minus acida mineralia, inter quae acidum nitricum a cl. Jos. Frank felici cum eventu in Lepra Elephantia tentatum est, aequa Mercurialia et quidem Calomel, et sublimatus corros. quibus tamen secundum experimenta nuperrime instituta nec minima fides habenda, imo summi in re medica Viri deleteriam inde experti sunt actionem. Etiam ad Arsenicum, cum piperis partibus sex

remistum; apud Indos jam pridem sacerdotes medici con fugerunt et adhuc dum his ipsis, uti referunt, cum successu utuntur.

Cl. Willan, Batemann, S. Plumble solutionem Fowlerianam a 5—10 gutt. de die summo cum fructu adhibuerunt, a qua tamen, si ejus usum sensus tensionis, rigiditatis aut inflatio faciei sequerentur, abhorrent.

§. 31.

Etiam, quae regnum suppeditat animale, contra dirum hunc hostem fuere tentata, et inter haec jam antiquissimis temporibus a Galeno, Oribasio ac Platero carnem viperinam forma pulveris vel decocti miro modo in cutis turpitudinibus agere fantur; ast, quam hisce effatis fidem tribuere possumus, in scriptis simul legentes, gallinas carne viperina saginatas, eandem possidere actionem electivam? — Etiam tinctura Cantharidum a Dre Mead in Elephantiasi laudatur, haec semper tamen, quod simul Willan et Falconer testantur, ambiguum manet et anceps remedium.

§. 32.

Imprimis vero auctores omnem, quam potuerunt, in dia et am ordinandam ponebant sollicitudinem, et a carnibus diversis, leporina, asinina, ac porcina et a cibis crassioribus, flatulentis, viscosis, a piscibus, qui squammis desituerentur, in genere ab alimentis, quae sale aut aromate acriori condita essent, et quam maxime a Venere abstinendum, corpus vero pro viribus exercendum esse docebant.

§. 33.

Adductis nunc remediis rite ac cum fructu, casus proh! dolor in morbo provectioni rarissimus, adhibitis, medentis conamen eo simul dirigì debet, ut ex una parte vires aegrotantis conserventur, ac, quantum potest, sufficiantur, quod sit partim per remedia tonica interna, ut Chinam, cort. Cascarillae, Angusturae et extracta amara, partim per balnea aromatico-tonica; dein, ut recidiva praecaveatur Leprae, ad quam avertendam protractus usus remediorum tam inquam externorum indicatur, quibus morbus ipse cessavit; cui scopo balnea tonica, et in specie martialia pro maxima parte sufficiunt.